

tioem ad hoc officium, ad quod ille doctrinæ excessus non conducit. Si ille prior ob minorem doctrinam sit in periculo errandi circa hoc officium, jam eo ipſo non est dignus simpliciter, nec eligi poterit, nisi in defectu alterius. Vnde in praxi sæpè decipiuntur electores judicando dignum, qui reuera non est talis simpliciter; sed intantum eligi poterit, inquantum non inuenitur alius, qui verè dignus sit: ad quem inueniendum deberet apponi maior diligentia, quæ frequenter ab electoribus non adhibetur; sed ex iis, quos obuios habent, in quibus fortè nullus est simpliciter dignus, sed solum minus indignus, eligunt, quem malè vocant digniorem. Iuxta quam philosophandi rationem videtur consequenter dicendum, posse etiam Consiliarios quemcumque absolute dignum proponere, sine excessus qualitate; quia per accidens se habet ille; cum etiam sublato, nulla inconuenientia in officio, de quo agitur, exercitio timeantur. Quod propter grauissimi scriptoris auctoritatem potest vt probabile sustineri.

Quid inde pro Consiliarijs.

Difficilis explicatio dicta ostenditur, contra quam arguitur efficaciter.

19 Sed est certè doctrina illa difficilis. Nam etiamsi ex electione minus digni nulla specialia inconuenientia timeantur, excessus alterius non se habet per accidens, quia confert vt officium, de quo agitur, melius tractetur, & maiora commoda in Republica subsequantur. Quis enim dubitet meliorem cuiusque muneris tractationem Republicæ accidere commodiorem? Sicut in ministerijs seruilibus est videre: vnus enim alio melius seruit, estque talis melior seruiendi modus absque dubio commodior iis, in quorum commodum adhibetur. Et quidem sine periculo errandi potest esse maior perfectio in modo operandi: ad bonum autem Republicæ non solum confert quoddam erroris periculum abſit, sed etiam quod ministeria perfectius obeantur. Maior autem ista perfectio non potest dici per accidens, cum ad tale ministerium spectet, quæ tale est, ex quo boni aliqui effectus haberi possunt, quos ex ministerio minus dignè obito Republica non habebit. Quod quidem adeo videtur perspicuum, vt mirer viro tanto talem philosophandi modum placuisse.

Ex eiusdem doctrinæ conuoluitur de eligendo in cõkursu meliore.

20 Quem ex ipsius doctrinâ possumus etiam aperte conuellere, quia num. 18. docet in concursu digniorem eligendum, quia licet vterque pertingat ad gradum dignitatis, qui requiritur vt satisfaciatur Communitati; ille tamen doctior, vtilior est ipsi communitati, atque ideo magis dignus, non solum comparatiuè ad alium concurrentem, sed in ordine ad ipsius officium. Tum quia licet ille minus doctus possit occurrere inconuenientibus & periculis circa tale munus; alius tamen, qui maiorem doctrinam, vigilantiam & experientiam habet, non solum periculis occurrere poterit, sed etiam noua commoda & maiores utilitates Communitati afferre, quod in Governatore magis specialiter prosequitur. Tum etiam quia dignus non poterit occurrere, & vitare inconuenientia & pericula subtiliora, licet communiter occurrentia possit; quæ tamen dignior præstare poterit. Sic ille philosophatur, manifestissimè ostendens maiorem dignitatem non se habere per accidens in concursu. Sed ex eadem doctrinâ non minus manifestè sequitur,

etiam concursu non extante, idem similiter dicendum; quia siue hoc siue illo modo prouisia officij fiat, semper Republicæ aut Communitatis bonum attenditur. Quare doctus Magister num. 21. docet in praxi semper regulariter esse eligendos meliores; cum enim excessus per accidens se habeat, illum non debet elector attendere, quandoquidem attendere non debet quæ per accidens se habent; quæ enim per accidens se habent in ordine ad officium, etiam se habent per accidens in ordine ad electionem, vt si excessus sit in musica, poësi, aut mathematicis.

Et de regij lari dignior in praxi electione, cuius oppositi damna recensentur.

21 Et quidè cum regulariter eligendos digniores dicat, quidquid de vnâ aut alterâ digni electione sit, ob grauiam inconuenientiam, quæ alias in Republica sequerentur; obreperet enim frequenter indigni, langueret studia, ingenia torperet, egreriorum in Republicam meritorum cura esset nulla, sed ambitione omnia miscerentur. Cum, inquam hoc ita sit, non video cur contendat, discrimen hoc dignorum & digniorum non multum in praxi plerumque referre. Si enim in praxi digniores præferendi ob inconuenientiam illa grauissima, quæ ex aliorum electione sequuntur; ergo discrimen tale quoad praxim multum refert. Quomodo enim non multum referat, ex cuius omissione adeo grauiam incommoda sequerentur? Hoc ergo Regij Indiarum Consiliarij serid pro suo doctrinæ & pietatis gradu sublimiore considerent, & præfatis inconuenientibus studeant idoneorum Ministrorum examine subuenire.

CAPVT IV.

Circa Ecclesiasticas prouisiones Quæstio eadem.

Circa hoc videnda quæ diximus Titulo præcedenti cap. 7. pro quo &

Affertio 1. digniores in Consultationibus præferendos.

22 Dico primò. Ad Ecclesiastica munera digniores debent à Regij Consiliarijs in consultatione præferri. Constat ex dictis num. 15. & 16. Si enim ad temporalia munera digniores præferendi sunt cum qualitate excessu, euident est in Ecclesiasticis idem potiori iure faciendum. Pro quo & videnda quæ diximus Cap. 2. Nam Ecclesiasticæ prouisiones negotiorum conuersionis Indorum concernunt, & ita sunt ex eo etiam capite temporalibus præferenda. Quibus addo indignitatem, & perspectam nobilitatem, ad dignitatem conducere: id quod in Benemeritis Indicis obseruandum, iuxta id, quod tradidit Illustrissimus Zapata Parte 1. cap. 8. n. 10. & 11.

Indignitatem & nobilitatem ad dignitatem spectare.

23 Dico secundò. Idem deceptionis periculum, quod esse Cap. præced. Assert. 2. vidimus, ob sinistras relationes, in causâ præsentij verfat: vnde Regij Consiliarij possunt iuxta prudentem in casu singulari discursum, dignitatis conceptum efformare. Constat ex ibidem adnotatis: pro quo & multa possem experimentis frequentibus deprehensa hoc in genere, hoc inquam sacro & inuolabili, cumulare.

Affertio 2. de periculo deceptionis iuxta dicta num. 6.

24 Dico tertio. Regij Consiliarij ad Episcopatus non debent proponere præfatos, siue manifesti, siue sint etiam simulati, quod non erit difficile coniectare. Constat; quia eo ipſo quod

Affertio 3. ad Episcopatus non esse proponendos præfatos.

quod prætendant, sunt indigni iudicandi, vt clamant Iura. L. Si quemquam 39. C. de Episcopis & Clericis, sic aiunt Imperatores: Castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocumque locorum peruenerit, omnia vitæ integritate purificet. Tandem ab ambitu debet esse sepositus, vt queratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profecto enim indignus est Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Sic illi. Cap. Miramur 61. dist. ex Diuo Leone Magno Epist. 85. al. 83. sic habetur: Non est hoc consulere populis, sed nocere; nec præstare regimem, sed augere discrimen; integritas enim Præsidium, salus est Subditorum; & vbi est inolumitas obediencia, ibi est forma doctrina. Principatus autem, quem aut fiducia extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus aut actibus non offendit, ipſo tamen inuiti sui est perniciosus exemplo; & difficile est vt bono peragatur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

Cap. Miramur.

25 Ex Symmachio Papâ sic etiam in Cap. Nullus itaque, 1. quæst. 1. decernitur. Nullus itaque per ambitum ad Episcopalem honorem permittatur accedere; nam cum hic excessus in laicali conuersatione culpetur, quis dubitat quin Religiosis, & Deo seruientibus iniuriat vel inuentat opprobrium? Sic ibi.

Glossa.

Vbi Glossa marginalis hæc habet: Infamia irrogatur dignitatem petenti. Nomine autem Religiosorum Clericos intelligi, Glossa ibidem aduertit. Pro laicali autem conuersatione alluditur ad L. 1. D. Ad L. Iuliam, de ambitu, vbi pena statuitur ambientibus. Cap. Sicut is 1. quæst. 6. ex Diuo Gregorio lib. 7. Epistol. 110. ita dicitur; Sicut is, qui inuitatus renuit, questus refugit, sacris altaribus est admoendus; sic qui vltro ambit, vel importunum se ingerit, est proculdubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere, quid aliud agit, nisi vt crescendo decrestat, & ascendendo exterius, interius in profundum descendat. Sic ille. Vbi de Ordinatione Sacerdotum agit; sed ex eo ad Episcopalem dignitatem robustius instruitur argumentum: & doctrina Textus est generalis pro electione, licet de Sacerdotio præcesserit Pontificia doctrina. Vnde

L. 1. D. ad L. Iuliam.

1. Tim. 3. v. 1.

Ex Apostoli loco de Episcopatus desiderio nõ colligi ambitionis illecebram.

D. August.

Non omne, quod desiderari potest, est cum effectu procurabile.

1. Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Ne autem quispiam eo deceptus ambitionem foueat, occurrit Cap. Qui Episcopatum. 8. Episcopatus desiderio nõ colligi ambitionis illecebram. Veritatis nemo prohibetur; quod ad laudabile pertinet otium; locus verò superior, sine quo regi populus non potest, & si ita teneatur atque administrerur, vt decet, tamen non decenter appetitur. Quamobrem otium sanctum querit charitas veritatis; negotium iustum suscipit necessitas charitatis; quam sercinam, si nullus imponit, percipiende atque intuende vacandum est veritati. Si autem imponatur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sic ibi ex Diuo Augustino Lib. 19. cap. 19. de ciuitate Dei. Sit ergo licet bonum opus Episcopatus; sit licet (vt hoc etiam demus) desiderium (pro quo videri potest P. Henriquez Lib. 10. cap. 32. & Bassæus v. Episcopus nu. 3. alios adducentes) non tamen decenter ambitur: aliqua enim desiderari possunt, quæ non possunt procurari. Sic desiderare Sacerdos potest, vt leclerati capitali afficiantur supplicio ob commone bonum, quod tamen sollicitare nequit, irregularitatis alias poenam subiturus. Videantur alia

apud P. Suarium Tomo 4. de Religionibus lib. 6. cap. 7. & 8. P. Bauny Tomo 1. Tractat. 8. in Epitome Capitulis 4. s. Sexto, ne ambitu, & alios; quorum est potius probanda doctrina, quàm ea, quæ placuit Dom. Villaroel suam causam agenti Parte 1. Pæfice gubernationis, Quæst. 1. Artic. 13. præsertim numer. 54. & seqq. & numer. 76. vbi de promotione.

27 Est autem tunc indignior & damnabilior ambitionis pestis, cum venalitate aliquid intercedit, quàm præsertim Diuus Gregorius abolendam dixit citato Cap. Sicut is. Et in præsentibus Indicis est penitus dispiciendum, qui ad huiusmodi conuersiones solent accedere aureis & argenteis armis roborati. Si præsertim Religiosi fuerint, qui à Curia penitus relegandi, ipſe omni obtinendi, quod ambitu, obruncatâ. Et licet omnes simonia se dicant monstrum hæreticale perhorrescere, nescio an reipsâ virtus eiusdem euitetur. Cum enim auro & argento res agatur, mutabuntur quidem nomina, mali pernicie non mutata. Circa quod subtiliter & eleganter Camuel, non ambitur, sed meritum suffragio iam Episcopus, in hunc modum declamat, simonis Magi historia præmissâ, de quâ Act. 8. in Theologia moralis n. 865. Cum rigorem hunc verborum subaudio (scilicet D. Petri dicentis simoni; Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei exstimasti pecuniâ possideri) heroe totus, & miror, vel nostrates esse tam doctos, vel tam indoctum Petrum. Piscator ille erat, hi Doctores: sed permisit Omnipotens multa reprehensione digna in verbis Doctorem, nulla in Piscatorum reperiri. An non posset Simoni Petrus vendere, non quidem spiritum sanctum, sed honorem inde resultantem, eodem modo, quo locus honoratior pro sepultura vendi dicitur citra simoniam? & quidem Simonem non curasse spiritum sanctum, sed plausum atque auctoritatem, quam apud vulgus habere poterat, videtur ex verbis sequentibus D. Petri suaderi, videlicet: Non est tibi pars, neque fors in sermone isto; cor enim tuum non est rectum coram Deo: Deinde, cur non posset Petrus abstractendo ab spiritu sancto, vendere laborem insuperum in conuersione huius potestatis: nam vel debebat manus simoni imponere, vel aliquem locum adire, vel aliqua verba proferre; quæ omnia physica & materialia pretio estimabilia sunt, iuxta eorum doctrinam, qui docent intercedenti onus & laborem itineris suscepti pro collatione Beneficij vendi posse? & si sine simonia possimus res spirituales commutare, vt si te obstringas ad dandam Eleemosynam tali pauperi, & ego ad conferendum Beneficium; cur non posset Petrus potestatem illam tradere, & titulo eleemosynæ pecuniâ oblatam accipere? Verè hæc omnia obscura & intricata sunt, quia, si poterunt fieri, non est cur tam crude Simon à Petro reprehendatur; maxime cum debeamus proximorum actiones in meliorem partem interpretari. Fateor me herere, cum hanc historiam lego; videtur enim omnes opiniones benignas, quæ in hac materia sunt, destrueret. Sic ille. Et verò vt historia illa omnes benignas opiniones non destruat; quosdam certè venalitate palliat modos, quos magna artium magistra adinuenit ambitio, neque Consiliarijs Regij, viris sanè scientissimis ignoti esse possunt, aperitissimè demolitur. Vbi ergo tale aliquid, quod abſit, olfecerint, sic insambus portæ non pateant dignitatum. Cap. Insambus, de regulis juris in sexto: earum præsertim, quæ inter omnes ampliffimæ,

Venalitas in prædictis pestis penitus abolenda.

Elegans Camueli discursus circa Simoniam palliationem, vt suam committatam.

Quas opiniones citat Simoniam, D. Petri sententia conuallat.

ma, de quibus propoſita Aſſertio pronun-
tiauit.

Aſſertio 4.
in Benefi-
ciji alijs
præſentione
non argue-
re indigni-
tatem.

28 Dico quartò. In Beneficijs alijs præten-
ſio non probat indignitatem, ſi nihil præterea
vitioſum, de quo nuper, admisceatur. Probatio
eſt facilis, quia alijs non liceret concurſus oppo-
ſitorum ad Beneficia, quem tamen Concilium
Tridentinum in prouiſione Parochialium iniun-
git Seſſione 24. cap. 18. de Reformatione, & Pius V.
in Conſtitutionibus An. 1566. die 15. Aprilis. Quòd
ſi in Parochialibus id licet curam animarum ha-
bentibus, minùs erit inconueniens in ſimplici-
bus, vnde etiam pro illis concurſus quandoque
præcipitur, vt in Canonicatibus, de quibus Titulo
præced. cap. 10. & in multis patrimonialibus. Vnde
& viros virtute inſignes ſciuis per concurſum
Beneficia non ſemel aſſecutos, qui poſtea me-
morabiles fuerunt in Dei Eccleſiâ Prælati. Et
quidem cum edicta ponuntur, idonei omnes ad
concurſum euocantur, vnde qui concurrunt, am-
bientes dici nequeunt, ſubitiuè examen, & ele-
ctionem aliorum iudicio ſubmittentes. In alijs
autem non ita eſt iuſtificata prætenſio, quia non
veniunt vocati, neque ſe ſubiiciunt examini. Sed
tamen quia ipſa Beneficij vacatio quoddam ge-
nus videtur vocationis, & merita etiam iudicio
prouiſuri trutinanda proponuntur, non eſt id,
niſi vitioſum aliquid, vt dixi, interueniat, penitus
reprobandum. Ceteris autem paribus, non præ-
tendens, & benè notus præferendus, quia abſque
dubio dignior, iuxta D. Gregorij doctrinam, de
qua num. 25.

Concurſus
ad Benefi-
cia vt li-
ceat.

Eligendorũ
forma ex
D. Hormi-
ſidæ.

29 Vt autem DD. Conſiliarij eligendorum
formam præ oculis habeant, illam hic breui de-
ſcriptione ſubiiciam ex Diuo Hormiſidæ Papæ de
Hiſpanijs Episcopis ad Episcopos Hiſpanos etiam
ſcribente Epistol. 4. c. 1. in hunc modũ: Irreprehensibiles
enim eſſe conueniunt, quos præeſſe neceſſe eſt, corrigendos
nec quidquam illi deeſſe perſone, penes quam eſt reli-
gionis ſumma, & ſubſtantia diſcipline. Promptus de-
bet eſſe ad impertiendum, beneuolus viduis, hoſpitalis,
promptus ad miniſtrandum, ſacilis ad ſubeundas vexa-
tiones, nil habens, in quo erubeſcat, non ignorans quis
ſit dignior ſubſenatione. Sic ille. Ex Concilio etiam
Carthaginenſi 4. cui Diuus Auguſtinus inter-
fuit: Capite enim 1. ſic habet: Qui Episcopus ordi-
nandus eſt, antea examinetur, ſi naturã ſit prudens, ſi
docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vitã caſtus, ſi ſobrius,
ſi perurgit, ſi ſemper ſuis negotijs cauens, ſi humilis, ſi
aſſabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini in-
firmitus, ſi in Scripturarum ſenſibus cautus, vel acutus,
ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, &c. Cap.
Qui Episcopus 23. diſt. Item ex Synodò Romanã
ſub Eugenio II. & Aquileſanenſi Can. 13. vbi
ſic ſcriptum: Ille modis omnibus debet ad exemplum
vniuersi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus moriens,
jam ſpiritaliter viuunt, qui mundi proſpera contemnit,
qui nulla aduerſa pertimeſcit, qui ſola æterna deſiderat.
Cuius intentioni benè congruens, nec omnino per im-
becillitatem corpus, nec valde per contumaciam repug-
nat ſpiritus; qui ad aliena capienda non ducitur, ſed
propria largitur, qui nulla illicita perpetrat, ſed perpe-
trata ab alijs vt propria deplorat. Sic ibi.

Quærendi
tales extra
Curiam.

30 At dicent: Et vbinam tales? Certè non
inter Curia ſtrèpitem, & auſcas intruſiones.
Quærantur ergo alibi, ſicut quærantur ſtrenui
duces, cum aliquid momenti magni bello tra-

ſtandum occurrit. Quòd ſi non inueniantur om-
nibus præfatis dotibus exornati, optimi erunt,
qui iuxta Poëtã, vitijs, ſine quibus nemo vixe-
rit, minimis vigeantur. Hoc dum non fit, ne-
que tuta eſſe conſcientia poteſt, nec ſana Reſpu-
blica; Indica præſertim, cui ſerò, & à longè præ-
ſidia ſanitatis adhibentur.

CAPVT V.

Grauiã quædam incommoda, quæ vita-
re Regij Conſiliarij debent in Episco-
porum prouiſione, vt tuta eſſe ipſo-
rum conſcientia queat.

31 **P**rimum ſit, ne Episcopi ex vno re-
gno ad aliud transferantur, quando
id ſine magnis ſumptibus, & longif-
ſimis itineribus terrã marique eſſe nequit, ſi
præſertim ſenes fuerint, aut alijs corporis incom-
modis præpediti. Ex Nouã-Hiſpaniã ad Peru-
uium vidimus nonnullos tales adueniſſe, qui in
regno illo poterant decentiſſimè promoueri, aut
victuros parum, aut cum difficultate victuros.
Vnum aliquem feliciorẽ in hac parte, Illuſtriſ-
ſimum D. Dom. Ildoſonſum Ocon, qui ex Inca-
tanenſi Eccleſiã in Cuſcenſem promotus, Argen-
topolitanus Archiepiſcopus obiit Anno 1656.
dicentem audiui, nihil inconſultus & diſſonan-
tius illo ſuo tranſitu fieri potuiſſe. Quod qui-
dem ſi ex notitiã defectu oritur, id eſſe conſtat
non leui ex culpa damnabile, vt dictum Cap. 1.
ſi alio reſpectu; nullus certè occurrere talis po-
teſt, qui adeo eſt vacantibus Eccleſiis pernicio-
ſus, detrimentoſus pauperibus, opportuno ſub-
uentore carentibus, quorum & neceſſaria ſubſi-
dia in expenſis itinerum conſumuntur. Cum ta-
men ita diſponi res debeant, vt eorum cautela, &
Eccleſiæ ſeruentur indemnes, & cuiusque neceſſaria
pro ſuo modo miniſtrentur. Cap. Ecce, 39. diſt. ex D.
Gregorio lib. 8. Epistol. 4.

1. Incom-
modum in
prouiſione
Episcoporum
longinqua
tranſlatio.

Vacantijs
Eccleſiarũ
damna.

D. Gregor.

32 Secundum, ne nimium ſenes eligantur,
quia vel eos mortuos electionis instrumenta re-
perient, vel Sede non conſenſã decedent, ſeu
paulò poſt: ſicque vacatio vna aliam diuturnam,
& plenam periculum ſubſequetur. Vidimus hoc
non multis abhinc annis, octogenariorum, &
ſupra, electionibus non ſine ingenti detrimento
fruſtratis. Pro quo & eſt à Diuo Gregorio de-
cretum Libr. 12. Epistol. 6. quod habemus in Cap.
Archidiaconum, 85. diſt. vbi ſic dicitur: Archidia-
conum Florentinum Eccleſiæ Anconitana qui ad Episco-
patum fuerat electus, Scripturæ quidem ſacra ſcientiam
habere, ſed in ætatis ſenio iam conſectum accepimus, vt
ad regiminiſ officium non poſſet aſſurgere, &c. Neque
obſtat aliquem in quibuſdam vigorem conſpici
annis ſuperiorem; fallax enim ille, & iterum
defatigatione marceſcit. Episcopus Ciuitatis
Purenſis, ſeu Conceptionis in Chilenſi regno,
ad Eccleſiam ciuitatis Sancti Iacobi in eodem
regno promotus, ætate longiſſimã, iam iam
conſenſurus nauim, dum nescio quid cibi ten-
nioriſ ſumit & potùs, animam exhalauit. Do-
let paternis viſceribus Diuus Leo Epistol. 84.
Cap. 1. quòd Sacerdos, (Episcopum intelligit)
ad dura fuerit laboris huiuſce compulſus; cui

Episcopi
Purenſis
mori.

Moleſtiam
itineris in
Episcopo
dolet D.
Leo.

3. longe
vacantia
Eccleſiarũ.

Cap. Ne
pro de-
fectu.

Cap. Obe-
untibus.

Concilium
Tridenti-
num.

Quanta il-
lius in in-
dijs, &
quã fre-
quentia
detrimen-
ta.

Quibus
tribuentia.

Præſtorũ
damnum
cauſe, fa-
ciles ſapè
Episcoporum
mutatio-
nes.

Cap.
Quanto
perſonam.

Neque ne-
ceſſitas ne-
que vtili-
tas com-
muniter in
illi.

non ob moleſtiam ægritudinis, non ob ſeuſitiam hiemis
darentur induciæ: ſed iter aſperum & periculũ pleniũ,
per inuiſas caute (aliãs, nimes) agere cogeret. Quibus
certè non minora in itineribus Indiciſ conſpi-
ciuntur, niſi quòd etiam longiora.

33 Tertium, & grauiſſimum proſectò,
iamque inſinuatũ, dum non ſedulò prouide-
tur ne Sedes Episcopales diuturnã vacatione ta-
beſcant. Pro quo eſt Cap. Ne pro defectu, de ele-
ctione, in quo ſic ſtatuit Innocentius Tertius:
Ne pro defectu Paſtoris gregem Dominicum Lupus ra-
pax innadat, aut in facultatibus ſuis Eccleſia viduata
grauè diſpendium patiat: volentes in hoc etiam oc-
currere periculũ animarum, & Eccleſiarum indemni-
tatibus prouidere: ſtatimus vt ultra tres meſes Ca-
thedralis Eccleſiæ vel Regularis, Prælati non vacet
&c. Idem antiquiorum Patrum decretis ſtatutum
fuiſſe habemus in Cap. obuentibus 63. diſt. vbi ſic
dicitur: Obuentibus ſanè Episcopis, quoniam ultra
tres meſes vacare Eccleſiam, Sanctorum Patrum pro-
hibent ſanctiones &c. Concilium etiam Tridenti-
num Episcopis æquã ex cauſã abſentiam trium
concedit meſium, eorum ſuper hoc conſcien-
tias onerando. Et quia abſentia illa trimetris,
cum detrimento gregis futura regulariter credi-
tur, id vt prouideant ne ita ſit, verbis grauiſſimis
admonetur Seſſione 23. Cap. 1. de Reformatione.

Quæ cum ita ſe habeant, facile videri poteſt
quã ſit Indiã Eccleſiis exitioſa futura, non
vnius aut alterius, ſed plurimum annorum ſæ-
pè vacatio: & quã eorum grauatã conſcientiã
moneant, qui potuerunt, nec voluerunt tamen,
opportuniũ prouidere. Argyro-politanam Eccle-
ſiam ſeptennio vidimus viduatam Paſtore: Ec-
cleſiam S. Iacobi Chilenſem non minori ſpatio
etiam nunc videmus ſolatio eiũdem orbata; &
nondum ſtatim finis: Pompaianenſis duodenna-
lem ſuſtinuit orbitatem: Panamenſis, Chartagi-
nienſis, S. Marthæ, & fortè aliã, diuturnã vi-
duitate mirum erit ſi non penitus maruerunt.
Et damna quidem videmus, cum eorum non vi-
deamus auctores: certè tamen ſcientes ad Con-
ſilium Regium remedij ipſorum curam pertinere:
ſiue totum illud ſit, aut illius portio, Came-
rã ſcilicet, iuxta diuerſas circa hoc diſpoſitio-
nes, quarum vtilitates ipſi viderint diſponentes;
dummodò communis, & non priuatorum com-
modi ratio potiſſimum habeatur.

34 Præſata autem vacantiarum incommo-
da, ex alio non ſemel oriuntur incommo-
dum, mutatione inquam Prælatorum: non enim ita facile
repletur Sede ac contingit vacuari: neque tam
opportunè ſpirituale Matrimonium contrahitur
cum ſecundo, ac cum tranſlato diſſoluitur. Et
de tranſlatione quidem Innocentius Tertius Cap.
Quanto perſonam, de tranſlatione Episcopi, ita lo-
quitur: Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos
Romanus Pontifex (qui non puri hominis, ſed ve-
ri Dei vicem gerit in terris) Eccleſiarum neceſſitate, &
vtilitate penſatã, non humanã, ſed diuinã potiùs au-
ſtoritate diſſoluit. Sic ille. Hanc autem neceſſi-
tatem, vel vtilitatem in huiuſmodi mutationibus
rariffimè in Indijs accidere, nos, qui vidi-
mus & tangimus, non dubij poſſumus proteſta-
ri. Et mirum proſectò eſt Conſilij Dominos
melius videre, & penetrare profundius, longi-
ſimo terrarum & marium diuortio ſeparatos.

35 Fateor vtilitatem amplos habere terminos,
& ita poſſe illam, licet non eximium, ali-
qualem tamen, in mutationibus iſtis deprehen-
di. Verũ neque hoc videtur ſatisfacere, quia
hi, qui rem iſtam proximũs & intimũs inſpi-
ciunt, nihil tale deprehendunt: & fatis periculofa
res eſt; quandoquidem, vt cum alijs habet P. A-
micus Tomo 8. Diſput. 22. num. 73. tranſlatio fa-
cta ſine ſufficienti cauſã, ſaltem probabiliter
æſtimata, eſt irrita; ſicut diſpenſatio in votis,
vel in matrimonio. Deinde, qualicumque v-
tilitas, quæ ſcilicet parui momenti eſt, non de-
bet ad tales mutationes attendi, quia per illas
Matrimonium ſpirituale diſſoluitur, vt conſtat
ex citato Capite, & præſertim ex antecedentiſ fatiſ
memorabili, quod incipit Inter corporalia; in quo
maius illius vinculum quã matrimonij corpo-
ralis eſſe deciditur, & probatur: Atqui matri-
monium corporale non qualicumque vtilitate,
ſed maximã diſſolui poteſt, vt omnes de hoc a-
gentes Doctores affirmant. Præterquam quòd
vtilitas talis non eſt conſiderabilis ad mutatio-
nem, quando ex mutatione ipſã frequentia in-
conuenientia reſultant, ad quã potiùs attenden-
dum: quandoquidem id, quod vtilitatis Eccle-
ſiã vni videtur accreſcere, decreſcit alteri, quæ
vtili ſponſo viduatur.

Non quã-
libet vtili-
tatem eſſe
ſufficientem.

36 Propter quam rationem Doctores com-
muniter improbant tranſitum Religioſi ad Reli-
gionem alteram, intuitu etiam maioris perfe-
ctionis. Pro quo ſic D. Thomas 2. 2. quæſt. 189.
artic. 8. in Corpore: Reſpondeo dicendum quòd tran-
ſire de Religione ad Religionem, niſi propter magnam
vtilitatem vel neceſſitatem, non eſt laudabile: tum
quia ex hoc plerumque ſcandalizantur illi, qui relin-
quuntur: tum etiam quia facilius proſicit aliquis in
Religione, quam conſuevit, quã in illa, quam non
conſuevit, ceteris paribus. Sic ille adducens ſtatim
verba Abbatis Neſterotis apud Caſſianum Col-
lat. 14. Cap. 5. vbi ſic ait: Vnicuique vrile eſt, vt
ſecundum propoſitum, quod elegit, ſine gratiam, quam
accepit, ſummo ſtudio ac diligentia ad operis arrepti
perfectionem peruenire ſeſinet, & aliorum quidem lau-
dans admiransque virtutes, nequaquam à ſe, quam
ſemel elegit, profeſſione diſcedat. Hæc ille. Nec o-
mittenda alia ex Cap. 6. vbi ita loquitur: Impoſ-
ſibile namque eſt vnum eundem hominem, ſimul v-
niuerſis, quas ſuperius comprehendit, fulgere virtuti-
bus. Quis ſi quis voluerit pariter aſſectare, in id eum
incidere neceſſe eſt, vt dum omnes ſequitur, nullam
integre conſequatur: magiſque ex hac mutatione ac
varietate diſpendium capiat, quã proſectum. Viden-
dus P. Suarez Tomo 4. de Religione Tract. 8. Lib. 3.
Cap. 9. iuxta quã conſtat non quamlibet vtili-
tatem ſufficere, vt ſit mutatio iſta laudabilis, &
attendendum damnum, quod derelictæ Religi-
oni obuenire poteſt ex frequentiſ ſcandalo, pro-
pter quod vtilitas prætenſã debet nibili reputari,
& ſuſpecta haberi, cum maior vtilitas ex con-
ſuetis poſſit virtutum exercitationibus, quã ex
nouiter aſſumptis ſperari: bona enim conſueti
relinquere, & inſolita inchoare, non ſolet eſſe
ad proſectum vrile, vt ex D. Thomã concludit
P. Suarez ſuprà num. 3.

Ex tranſi-
tu ad aliã
Religionem
arguitur,
communi-
ter non
probato.
D. Tho-
mas.

Caſſianus.

37 In caſu autem noſtro de tranſlatione E-
piscoporum idem accidere manifeſtum eſt, pro
quo non quãuis vtilitas, ſed magna requiritur:

Ob defe-
ctum vtili-
tatis.

Quæ ma-
gna eſſe de-
bet in tran-
ſlatione E-
piscoporum